



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. Francisci Salesii, Episcopi Et Principis Gebennensivm Meritissimi

Maupas du Tour, Henri Chauchon de

Coloniæ Ubiorum, 1663

Itinerarivm Coeli, pro Præfatione, & Admonitione Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42882



ITINERARIUM COELI,

pro Præfatione, & Ad-
monitione

AD LECTOREM.



VIATORES illos alloquor, qui
coelum versùs iter insistant,
nullâ prætereâ de causâ arduæ
viæ laborem exantlantes. Con-
siste, Lector, atque huc adjice oculos: ne-
que enim reculare potes, quin dones cor-
tuum, quod certum mihi, & constitutum
est offerre Deo. Quamquam erravi: non
ego illud offeram: imbecillior sum, quàm
ut id valeam perficere: ea tanquam opima
spolia consecrabit summo Domino illu-
stris ille Episcopus Gebennensis, cujus
Vitæ scribendæ vitam ipse meam conse-
cro. Tu si tuam amas, ama sanè eo modo,
quo amavit ille suam, hoc est, ad prome-
rendum coelum, mercandâque beatam
æternitatem: lectita quæ docuit: expen-
de quæ fecit: sancta documenta converte
in usus tuos: facta imitare.

* S

Ite^r

Iter salutis inquiris & novit Franciscus omnes perfectionis vias : fidissimum ductorem habes in id quod sequeris ; siquidem tibi propositum est adhærere Deo : nihil est quod itineris difficultates extimescas, dum iis præsiidiis utare, quæ ultro tibi ejus caritas suggerit. Nec verò obrènderis, grave & laboriosum esse, fretum illud trajicere, quod inter seculi placita, & effata Evangelii interjacet : etenim familiarem ille tibi, & minimè morosam *Introductionem* suppeditavit, spiritu Dei plenam, quæ te feliciter per jucundissimos quosque calles piæ & religiosæ viæ deducat. Cupis diligere Deum ex animo? vide ac voluta Auctoris ejusdem *Theotimum*, illiusque lectionem cum *Philothææ* lectione conjunge.

Nimirum divini characteres eruditionis, zeli, amoris utroque in Opere expressi, pro argumento jamdiu sunt illustrissimis quibusque nostræ ætatis viris, studii, admirationis, laudum: eorundemque lectio ad saniora consilia reducere pergit eos, quos morum licentia ab semitis gratiæ abduxerat. Recognoscito simul, id quod ad commendationem monumentorum Francisci Salesii pronuntiavit haud ita diu

diū unus ex illustrissimis Summis Pontificibus, quotquot unquam in Petri solio confederunt: ac si vacat, *Salesianas Epistolas* perlege; de quibus ego idem usurpem, quod olim S. Joannes Chrysostomus de Epistolis S. Pauli pronunciabat, ad eas legendas unumquemque adhortans, nemine prorsus excluso; ne mercatoribus quidem, aiebat, neque fellulariis opificibus: quòd si, addebat, prohibet negotiorum multitudo, quò minus id factites, audi me sanè, illas explanantem, aut *Commētariorum* in easdem meos voluta. Ego eundem ad modum hortor, ut si minus per otium tibi licet cœlestis nostri Scriptoris *Tractatus* omnes, omnes *Epistolas*, *Operaque* alia, prorsus evolvere; effigiem saltè ejus *Vitæ*, quam oculis subji- cio tuis, inspicias identidem.

Nam ad *Conciones* quidem quòd attinet, quæ ejus nomine circumferuntur, ex non sunt illius, sed variorum; qui cùm fragmen- ta quædam collegissent sacrarum *Oratio- num*, quas ad concionem tantus *Ecclesia- stes* habebat, eadem deinde ad suum ipso- rum genium sensumque aptata vulgave- runt, sed ex sanguia & ex succa, destituta- que ingenii luminibus, eruditionis funda-
mento,

mento, jucundissimis schematis, vehementibus ad pietatem religionemque incitationibus, quæ in Francisco singularem quemadmodum in modum eluxerunt. Ex quo inter cetera incommoda illud enatum, quòd cum viva ejus vox mirè illos afficere solita sit, qui de superiore loco verba facientem audiebant; contrà, hæc frigida rhapsodiæ legentium animos ac studia abalienent, remotissimæ utique ab iis motibus, qui plautus illos populares unà cum admiratione ciebant, tum, cum vulgaris esset ea accurrentium exostulatio, angustiores esse sacras Ædes quasque vel amplissimas, quàm ut tantam auditorum multitudinem caperent, tam illustrium, ex Galliâ, Sabaudiâ, Pedemontio, Italiâ: ut illud meritò dici queat, amanuenses illos, ut optimo consilio ista collegerint, non tamen assecutos esse ardorem illum dicendi, quo is, cujus ex oratione hæc excerpterunt, totus æstuabat; neque eventum, illorum zelo respondisse. Omnino quantum intersit inter Auctoris autographa, & excerpta illa fallacium amanuensium, tum alia passim declarant, tum potissimum Sermo de Assumptione B. MARIÆ ab eo habitus in Æde sacrâ S. Joannis in Gravia,

PRÆFATIO.

V

Craviâ, qui cum aliis aliquot ejus manu scriptus repertus est: erit fortè, cùm plenius id ipsum demonstretur.

Interea sanctissimæ illius Vitæ epitomen tibi offero, Lector benevole, quæ longiorem legendi laborem tibi levet. Ut enim quotidianas Solis circumvectiones, immensas licet, aptissime ponit ob oculos filum illud vel tenuissimum, quod in exiguis illis horologiis quæ in pera vulgò gestantur, metitur cursum tanti fideris, horâque exiguo in circulo partitur; sic tu in hoc Breviario non incommodè intueri poteris divinorum illius documentorum ductus quosdam, atque inspicere, quemadmodum se in heroicis quibusque virtutibus adhiberet Magister virtutum præstantissimus. Nec est cur in Christianæ perfectionis clivo superando vel tempestatum anni asperitatem, vel collium arduos ascensus reformides: nam & tanquam prodromus viam tibi sternet, complanabitque illustrissimus Antistes; & tanquam ille quondam mirabilis Thaumaturgus, montes ipse in mare præcipites dejiciet, hoc est, extenuaris maximam partem difficultatibus, regiam tibi viam per obstantia quæque aperiet. Etenim difficillimos quos-

quosque locos perripit ipse, ad summum editissimorum aggerum verticem scandendo pervenit, trans saxa præcipitiâque transmisit, vidit pericula illa omnia, nec horruit: per aliorum naufragia, quæ suis ipse oculis intuitus est, portum tenuit: nec ulli unquam labores, ærumnæ ullæ, ulla discrimina illius animi magnitudinem infringere potuerunt.

Si te fatigant tentationes adversariæ; habes Medicum scientissimum eundem, & liberalissimum, qui gratis ex Christiana caritate, adversus morbos omnes animi efficacissima remedia suppeditet. Si veritatis lucem omni ex parte amabilem inquiris; ad illius te cognitionem perducet mirabilis ille Doctor, in Missionibus diu multumque versatus, & Apostolico, scilicet, spiritu. Confutat errores: mendacia, contra rectam fidem improbè & maliciosè conficta, redarguit: sollicitudinem omnium Ecclesiarum amplectitur: in animarum conversionem incumbit per se, perque alios: ex hæreseon voraginibus, miserrimorum hominum fraudulentâ specie deceptorum educit extrahitque millia complura: objecit se centies eorum ipsorum hæreticorum furori atque immanitati:

ti:

ai: neque periculum ullum ab iis intentatum refugit; quò fide imbutos, sempiterno exitio eriperet: quod quid est aliud, nisi vitam ipsis impertiri? Concurrite igitur, qui cunque cœlum inquiritis: patet via cui-libet ætati, sexui, conditioni. Si ex nimis mollitudine, cum sexûs imbecillitate conjuncta, ad Calvariæ sentes horretis; legite sanè sub Cruce flores, unà cum Monialibus Visitationis: etenim perspicax Episcopus idcirco sanctum huncce Ordinem instituit, ut quarum est imbecillior valetudo, ex brachiis humilitatis caritatísque stringantur, dum quoquo modo se Domino Deo consecrare fortiter animum inducant.

Si in seculi pravitate positi, inque lubrico illo flexu ætatis, cujus sunt tam periculosi ardores, cohorrescitis fortè ad ignea illa tela nequissimi, ex quibus lapsus frequens, infrequentior victoria; sequimini illius fortitudinem, fugam occasionum, voluntarias afflictationes corporis, precationes: confugite perinde ut ille, ad aras: Deo confidite: tanquam ad asylum, sic ad Genitricis Dei opem profugite.

Si prudentem Directorem quæris ad mentis institutionem tuæ, quo quidem

præ-

præsidio Christianis maximam partem opus est; eo ministerii genere mirabiliter complures in spiritu promovit, tum viros, tum feminas sui temporis, excelsioris virtutis cujusdam laude præstantes: in iis, *Joannam Fremicottam*, (a) cujus ipse ego pro meâ tenuitate Vitam exaravi, ex schediis maximè, quæ mihi ipsius filix in spiritu, suppeditaverunt, cujusque editio quinta emendatior fortè est, quàm ulla anteriorum.

Si conjugio implicitus es, ponit tibi Salesius ob oculos, statûs illius officia, quid facere, quid fugere debeas: simul præsidia subministrat, quibus nixus, onus illud ex suscepti Baptismi legibus, atque ex secururæ æternitatis consideratione aptè feras. Quòd si adhuc tibi integrum est, deligere quem potissimum statum vitæ volēs; enimverò consulendum tibi Deum præscribit, sic, ut is arbiter sit perpetuus consiliorum tuorum, atque ipse de tuâ in eligendo definitione statuatur.

Si ad Clericalem militiam propendes, atque adeò si jam inter Altarium ministros versaris, habes in Salesio Speculum Sacerdotum, Solem Antistitum, cujus quidem in moribus non leviter adumbrata,

(a) vulgò, *Madame de Chantal*. sed

sed absolutissimè expressa cernas, quæ-
cunque de vitâ & honestate Clericorum
sacri præscribunt Canones; atque adeò
quæcunque S. Carolus tum Mediolani
gessit, tum alibi, in tam multis, tamque ar-
duis occupationibus usurpavit. Quòd si
jam tibi credita est cura animarum; idem
ille noster Franciscus illustrissimos quos-
que viros tunc Ecclesiasticis fulgentes di-
gnitatibus, salutaribus imprimis consiliis
monitisque instruxit, iisque artem artium
quam vocat S. Gregorius, tradidit, regi-
men, videlicet, animarum.

Vno verbo, quicumque analphabeti
non sunt, Vitam hanc, quã edo, fructuosè
volutare legendo queant, juvenes, senes,
viri, feminae, conjugati, cælibes, nobiles,
seu militiam adament, seu artes vitæ civi-
lis; disciplinarum vel studiosi, vel consulti,
Academici, Jurisprudentiæ, Theologi-
aève sectatores, literarum Candidati, seu
profanæ illæ, seu sacræ sint; Clerici, Sacer-
dotes, Præsules, laici, Religiosi, docti, indo-
cti, scholastici, doctores, lectores, Scripto-
res librorum; quicumque Sacramenta vel
suscipiunt ipsi, vel tradunt aliis; quotquot
diligunt Deum, quotquot eundem pec-
cando lacesunt; benefici, beneficiorum
** accepto-

accepto-

acceptorum immemores; amici, injuriosi in amicos; orthodoxi, heterodoxi; qui morum emendationi dant operam, qui de perfectione adipiscendâ cogitant; Martha, & Maria, hoc est, & qui actuosam, & qui contemplativam vitam sequuntur; otiosi, laboriosi; mercenarii, & qui suas ipsorum utilitates negligunt generosiùs; prodigi, avari; principes, opifices sellularii.

Denique habes Vitam Viri, qui ad hoc extitisse videtur, ut nemini non prodesset; quem Deus auctor largitorque gratiæ ad hoc excitasse videtur, ut ad præstantissima quæque ipsum adhiberet eorum, quæ per illa tempora peragi ad communes fidelium utilitates volebat, ac proinde ad illustrissimas victorias: qui ardentissimo zelo æstuans, Ecclesiam totam, quàm latè patet, pari propè studio, ac Diœcesim suam complectebatur: cujus caritas nullum non occupationis genus suscepit ad opitulandum proximis: cujus dies pleni fuerunt, cui hora nulla vacavit: qui laboravit assidue actione nunquam interrupta; & quod summum est, qui in iis omnibus nihil unquam spectavit aliud, nisi ut placeret Deo,

Deo, utque hominibus qui ad Dei imaginem facti sunt ex amore commodaret.

At complures jam in ejusdem Francisci Salesii Vita scribenda versati sunt. Audio: verum, illud ipsum indicio est, argumentum illud uberrimum profectò esse. Equidem, Echo illa demum gratissima est, quæ unius ejusdemque vocis sonos reddit quàm maximo numero: & Sol, oculus ille mundi, ubicunque reflectat radios, aliquid semper sui impertitur quod delectet, dummodò in oculos nostros incurrat.

Quisquis ergo autographum diligis, magni quoque fac apographa: nam et persæpe ii, quibus in fontis scaturigine sedare sitim non licuit, illam extinguunt in rivulo: & fortè cum in rem tuam non satis transfuleris quæ de fideli Dei famulo alibi legisti, nunc benignissimus Dominus, piè tibi intidians, paginam jam libri hujusce aliquam designavit quæ te intimè moveat: ac si es, dum hæc legis, vel ætate vel virtute provector; illud tecum reputa, viatori illi, cui non modò jam abscessit aurora, sed etiam meridianum tempus præterit, ne utiquam injucundum esse frui adhuc crepusculo aliquo sub noctem appropinquantem: præterquam quòd ut tibi con-

** 2

ceda-

cedamus, argumentum illud idem esse, quod ab aliis tractatum sit, comperies tamen ipse, abam esse historiam. Nimirum in unaquaque familia quid sit reconditissimum, & maximè arcanum, nòrunt potius domestici, quàm externi: neque cuiquam pater notior, quàm liberis. Quid mirum igitur, si à Religiosis Monialibus Ordinis Visitationis collecta quaedam sunt, quæ superiores illos Scriptores latuerint? Ego quidem ab iis accepta, digessi in ordinem, amanuensis potius, quàm Auctor: ut quo modo Salomon olim augustissimum illud Templum condidit ex iis, quæ à Davide parente aggesta erant; sic illæ Operis materiam mihi suppeditaverint, ego cuncta ex fide ordinaverim. Verùm haud sanè plurimùm refert, Lector benevole, vox sim primaria, an Echo; iter primus aperiam, an alicujus qui anteierit, insistam vestigiis; Auctor sim, an imitator. Ut ut res habet, fructuosa omnia fuerint, dum ad imitationem tantæ virtutis conjunctis studiis feramur; quò in communionem veniamus aliquando vitæ beatæ, quâ jam ipsum ab summo Agonotheta donatum in cœlo esse, non patitur ambigere, quod subjungo posterius Romæ editum,

BREVE